

www.e-rara.ch

**Idea philosophiae moralis, seu ethica, paucis multa complectens de
beatitudine, de actibus humanis & de virtutibus moralibus**

Petrus

Coloniae Agrippinae, 1655

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25582>

Caput II. De medio virtutum moralium, earumque connexionem, & aequalitate.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

sunt media quibus homo recte disponitur ad beatitudinem assequendam, tanquam ultimum finem in quem tendunt.

Duplex autem insurgit circa hoc difficultas, altera, an ad virtutis honestatem sufficiat *prior* finis, aut necessario requiratur etiam *posterior*; ita ut ea non sit proprie & essentialiter virtus, quæ tendit in opus honestum; rectæque rationi consentaneum, qualia sunt opera iustitiæ, & temperantiæ, nisi ulterius referatur explicitè ab operante in Deum, ut summe per veram charitatem dilectum. Verum quod relatio illa non requiratur ad virtutem moralem, sufficienter colligitur ex supra dictis, ubi de bonitate actuum humanorum

Altera difficultas est, an virtuti morali possit addi finis malus, ex intentione operantis, ita ut elici possit actus veræ virtutis ex pravo fine. Verum quod id fieri non possit, ex ante, & alibi dictis evidenter concluditur; quia cum virtus essentialiter tendat in opus bonum, non potest ab ea prodire nisi opus bonum: at quod fit ex malo fine non est bonum, sed simpliciter malum, cum vel unica circumstantia mala, maxime finis, totum opus vitiet: Ergo tale opus à virtute prodire non potest, quemadmodum motus sursum non potest oriri à gravitate lapidis, quia hæc essentialiter inclinatur lapidem ad motum deorsum.

C A P V T II.

D E M E D I O V I R T U T U M
Moralium, earumque connexionem, & æqualitate.

A R T I C V L V S I.

An virtutes Morales in medio consistent.

P Remonto: cum medium sit illud quod inter extrema positum est, multiplex communiter distingui medium; aliud per participationem extremorum, quomodo color viridis dicitur medius inter albedinem, & nigredinem; aliud per negationem extre-

morum, quomodo liberalitas est media inter avaritiam, & prodigalitem, utramque excludens.

Deinde aliud dicitur medium rei, seu Arithmeticum; aliud rationis, seu Geometricum: medium rei dicitur quod æqualiter distat ab extremis, ut numerus quaternarius à binario, & senario; & centrum à circumferentia circuli: medium verò rationis, seu Geometricum illud vocatur, quod non petitur per ordinem ad extrema, sed per respectum ad suam regulam, ita ut neque eam excedat, neque ab ea deficiat: ut cum cibi distribuuntur juxta cujusque complexionem & temperamentum, adeo ut tantum detur cuilibet quantum indiget. Quare hoc medium habet aliquam latitudinem, cum aliud sit prorsus indivisibile.

Premoneo 2. virtutem duobus modis spectari posse, 1. substantialiter seu entitative, 2. effective, seu quoad proprium actum ad quem inclinatur; & utroque hoc modo investigari posse, an virtus in medio posita sit. *Ad-*
dunt aliqui modum tertium, scilicet ex parte objecti, sed id non videtur necessarium, cum nulla sit actus mediocritas in virtute morali, nisi objectum sit mediocre, ut patet in liberalitate, quæ non potest habere mediocritatem ad actum virtutis requisitam, nisi pecunia quæ distribuitur mediocritatem atingat. His positis

Queritur 1. an virtutes omnes morales consistant in medio, quoad substantiam, seu entitative, ita ut inter duos habitus vitiosos sint constitutæ. *Resp.* omnes virtutes morales, excepta justitia, in ejusmodi medio consistere. *Probat*ur inductione, nam prudentia est media inter calliditatem, & imprudentiam: fortitudo inter audaciam, & timiditatem; temperantia inter stupiditatem, & intemperantiam: liberalitas inter avaritiam, & prodigalitem, &c.

Objicies 1. non omnes has virtutes in medio vitiorum consistere, cum certum sit liberalitatem magis ad prodigalitem, quam ad avaritiam accedere: siquidem avaritia retinet, liberalitas vero & prodigalitas tribuunt. *Resp.* 1. spectare etiam ad liberalitatem retinere, qui enim omnia effunderet, nec retineret quæ sibi sunt

sunt necessaria, non liberalis, sed prodigus esset: quare potest liberalitas ex eo capite dici media inter avaritiam, & prodigalitatem.

Resp. 2. virtutem aliquam materialiter spectatam posse magis ad unum, quam ad aliud extremum vergere, sicque non esse præcise in medio illorum; non tamen si formaliter spectetur, quia sic inclinatur ad actus formaliter, ut rationi consentaneos; adeoque ut medios inter duo extrema, quorum alterum per excessum, alterum per defectum rationi repugnat. Unde quod supra diximus, liberalitatem esse mediam inter avaritiam, & prodigalitatem per negationem extremorum, non debet intelligi de extremis materialiter spectatis; quia sic aliquid de iis participat, sed formaliter, quatenus sunt vitia rationi & honestati opposita.

Objicies 2. quasdam esse virtutes contra quas per nullum excessum peccari potest; tales sunt virginitas, cujus est ab omnibus carnis voluptatibus abstinere; magnificentia, quæ in maximis sumptibus versatur; & magnanimitas, quæ maximos honores prosequitur. *Resp.* in iis etiam peccari posse per excessum; ut si quis nimis obstinate virginitatem servare vellet, etiam contra bonum commune Reipublicæ, cum sine alicuius personæ matrimonio in magno discrimine versaretur; & multo magis si accederet præceptum summi Pontificis, aut Dei. Unde cum primi parentes fuerint creati ad propagandum genus humanum, sine dubio peccassent, si ex amore virginitatis à complexu perpetuo abstinissent. Eodem modo ille peccat contra magnificentiam, aut magnanimitatem, qui in sumptibus faciendis, aut honoribus inquirendis modum non ponit, spectata sui status conditione.

Nota me cum communi sententia; ex illa lege virtutum moralium exemisse justitiam; quia etsi contra illam possit peccari per defectum; detrahendo nempe aut denegando jus alienum; non tamen per excessum, ut patet in tribus speciebus justitiæ; nempe commutativa, distributiva, & vindicativa. Sæpe enim emptor dæ sponte aliquid vendenti, supra justum præsumit.

ille excessus non violat iustitiam, cum nemini sit injuriosus. Si vero dux in distributione spoliatorum, tribuit alicui militi majus premium quam mereatur, non peccat contra iustitiam, quatenus excedit precise in largitione premii, sed quatenus dat minus aliis, quam æquitas postulet. Et iudex decernens reo plures plagas quam meritis sit, peccat quidem eo excessu contra clementiam, & actum crudelitatis exercet: est autem injustus, quatenus eo excessu plagarum, abripit reo jus quod habet ad proprii corporis conservationem. Unde cum contra alias virtutes morales peccetur directe per excessum, non tamen contra iustitiam peccatur nisi indirecte, & per accidens, quatenus excessus ille defectum injuriosum conjunctum habet.

Quæritur 2. an virtutes morales consistant in medio effective seu causaliter, adeoque etiam objective. *Resp. affirmative*, cujus ratio est, quia ut ait S. Th. 1. 2. q. 64. art. 1. bonitas virtutis Moralis sumitur ex conformitate ad regulam rationis, sicut bonitas rei artificialis in eo consistit, ut sit conformis regulæ artis; è contra vero malum in virtutibus, & artefactis contingit per hoc quod discordent à sua regula, vel mensura; quod *dupl. citè* evenire potest, vel ita ut mensuram excedant, vel ita ut ab ea deficient: quare cum inter excessum, & defectum media sit conformitas, & æqualitas cum regula, hinc fit ut virtus moralis in medio consistat causaliter, & objective; adeo ut actus ab ipsa profluens in sua materia versetur moderate, sicut debet juxta præscriptum rationis; ut patet in liberalitate, quæ ad mediocrem largitionem pecuniarum inclinat, ita ut nec plus, nec minus detur quam oportet, spectatis circumstantiis concurrentibus.

Notandum autem ex Art 2. quod etsi omne medium virtutis moralis dici possit medium rationis, non quidem ita ut in ipsa ratione sit positum, sed quatenus ratio medium præscribit omnibus virtutibus: interdum tamen contingit medium rationis esse simul medium rei, ut patet in iustitia quæ dat unicuique quod debet, non plus, nec minus; quia versatur circa res alterius,

in quibus rectum institui debet simpliciter & secundum se. Interdum vero medium rationis non est medium rei, ut in aliis virtutibus moralibus; quia cum versentur circa passiones interiores, in quibus non potest medium rei constitui ob diversam hominum dispositionem, earum rectitudo & medium debet constitui per respectum ad nos, prout varie secundum passiones affectamus. Unde temperantia non omnibus praescribit eandem cibi & potus mensuram, sed aliis maiorem, aliis minorem, juxta uniuscujusque necessitatem.

A R T I C U L U S II.

An virtutes intellectuales, & infusa in medio consistant.

Respondeo & dico 1. *Constare ex art. 3. questionis citatae virtutes intellectuales in medio consistere.* Cujus ratio ibi affertur, quia medium virtutis sumi debet ex conformitate ad suam regulam, ut dictum est; regula autem virtutis intellectualis, ut iudicium fert de re aliqua, est res ipsa cognita; quia ex eo quod res est, vel non est, veritas est in oratione, & in opinione. Ab hac autem regula receditur per excessum, affirmando aliquid esse quod non est, & per defectum, negando esse quod est: quare cum virtutes intellectuales haec extrema caveant, & iudicium ferant rei consentaneum, consequenter dicendum est eas in medio consistere.

Dico 2. *Paulo aliter loqui S. Th. art. 4. de virtutibus Theologicis.* Duplicem enim in illis assignat mensuram, aliam ex parte objecti, quod est Deus, qua ratione docet non posse peccari contra illas virtutes per excessum, quia cum Deus sit infinitus, in illum infinite credere, & sperare, & amore infinito eum prosequi oporteret, si id fieri posset. Aliam ex parte nostra, quia etsi non possimus ferri in Deum, quantum opus esset pro merito ipsius, debemus tamen ferri in illum credendo, sperando, & amando secundum mensuram nostrae conditionis; qua ratione ait virtutes Theologicas habere medium per accidens respectu nostri.

Quibus postremis verbis illud indicat discrimen inter virtutes morales acquisite, & Theologicas, quod morales habent medium, non modo ratione circumstantiarum, sed etiam ratione objecti; quia in illius quantitate peccari potest per excessum, vel defectum: Theologicæ vero non habent medium ratione objecti, sed tantum attentis circumstantiis conditionis nostræ, sub quibus sapientia divina statuit modum in actibus, quibus in Deum tendere debemus. Unde quia virtutum ratio per se pendet ab objecto, & per accidens à circumstantiis, hinc simpliciter & per se tribuit medium virtutibus moralibus, per accidens verò Theologicis.

Dico 3. *Virtutes morales infusæ habere medium eodem modo ac acquisite.* Probat, nam quemadmodum acquisite usurpant materias morales, juxta præscriptum rationis humanæ, ita & infusæ; juxta dictamen rationis divinæ: unde per excessum contra illas peccatur, quando usurpatur quod non debet; ut si quis privata auctoritate, caeremonias quasdam addat sacrificio Missæ: vel quando non usurpatur quod debet; ut si quis aliquem ex ritibus præscriptis sciens omittat. Quare cum virtutes morales infusæ ejusmodi extrema caveant; hinc fit ut non secus atque acquisite in medio consistant.

A R T I C U L U S III.

An virtutes omnes Morales sint inter se connexæ.

Loquor de virtutibus Moralibus, quia intellectuales nullam connexionem necessariam inter se habent, cum possit quis scientiam habere sine prudentia, vel arte; & unam scientiam, sine alia: quamvis nulla possit scientia haberi sine habitu intellectus. Loquor etiam de virtutibus communibus, seu quæ ad communem hominum statum spectant, cujusmodi sunt Justitia, Temperantia, & similes. Nam quæ certo hominum statui conveniunt, non sunt inter se connexæ quales sunt magnificentia, quæ Regibus, & Principibus convenit; & paupertas voluntaria, quæ Reli-

Difficultas ergo procedit de virtutibus Moralibus, quæ communiter ad omnes homines spectant, & quia illæ considerari possunt in triplici statu, quorum primus est imperfectus, & dicitur continentia seu novitiorum, in quo occurrunt multæ & vehementes perturbationes superandæ, & virtus admodum debilis est ad resistendum; secundus perfectus, qui dicitur temperantia, & est proficientium, in quo virtus majorem firmitatem habet, & non nisi levibus passionibus quas facile superat, pulsatur. Tertius est heroicus, qui est perfectorum, in quo homo est omnino liber à passionibus, nullamq; difficultatem experitur in operibus bonis; controversi solet an virtutes morales, in his omnibus statibus spectatæ, sint inter se connexæ; ita ut qui unam habet, omnibus præditus sit. Itaque

Respondeo & dico: *Prudentiam non posse haberi in gradu perfecto vel heroico, sine aliis virtutibus, posse tamen in imperfecto.* Prior pars probatur, quia perfectæ prudentiæ munus est rectè judicare de agendis, in materia virtutum moralium; at fieri nequit ut quis prudenter in omnibus judicet, nisi Fortitudine, Temperantia aliisque virtutibus moralibus præditus sit. Cum enim quisque, prout affectus est, judicet, fieri non potest ut qui ignavus, aut intemperans est, rectum judicium ferat, saltem ut plurimum, de periculis obeundis, aut de voluptatibus contemnendis.

Atque hoc modo intelligendus est S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 1. cum ait, prudentiam non posse haberi nisi habeantur virtutes morales; quia cum prudentia sit recta ratio agibilium, procedens ex finibus agibilium ad quos aliquis se rectè habet per virtutes morales, tanquam ex principiis, hinc sequitur prudentiam non posse haberi sine virtutibus moralibus, sicut scientia speculativa haberi nequit sine intellectu principiorum. Patet enim hoc debere intelligi de prudentia perfectâ, nã quod spectat ad imperfectam, ea non requirit consortium aliarum virtutum; cum non repugnet actus aliquos prudentiæ elici & per illos inchoationem quandam prudentiæ habituales comparari, antequam appetitus rectè sit dispositus ad

ad sequendum dictamen illius. Maximè cum necesse sit aliquos prudentiæ actus præcedere omnes actus aliarum virtutum Moralium.

Dico 2. *Nullam virtutem moralem haberi posse sine prudentia.* Ratio est, quia virtutes morales non comparantur nisi per actus bonos, & dictamini rectæ rationis consentaneos: at ejusmodi actus necessario supponunt aliquam prudentiam; cum prudentia judicet & dicet quid secundum rectam rationem sit faciendum, nullumque opus censeatur moraliter bonum & honestum, nisi prudenter factum sit. *Confirmatur*, quia juxta definitionem superius ex Arist. allatam, *Virtus est habitus electivus in mediocritate, quoad nos, positus. prout recta ratio & vir prudens præscripserit.*

Dico 3. *Nullam virtutem moralem, in gradu heroico vel perfecto spectatam esse posse sine omnibus aliis posse tamen in gradu imperfecto.* Prior pars probatur, quia illa virtus est in gradu heroico vel perfecto, quæ in exercitio suorum operum nullas, aut valde leves experitur difficultates, quas faciliè superare potest; at nulla virtus moralis ad tantam perfectionem pertingere potest, sine aliarum virtutum satellitio; eo quod in cujuslibet bonæ operationis exercitio plurimæ difficultates, ex diversis passionibus exurgere possunt, quarum alia ab hac, alia ab illa virtute comprimi debet. Quare nulla potest reperiri virtus in gradu heroico vel perfecto, quam non aliarum omnium virtutum chorus comitetur. *Confirmatur*, quia ad rectum justitiæ exercitium requiritur ut iudex sit liberalis, ne muneribus corrumpatur; generosus, ne minus terreatur, temperans, ne voluptatum illecebris ab a quibuscumque tatis tramite dejiciatur, &c

Nec dicas eas omnes difficultates à justitia superari posse, non enim aliqua virtus respicit nisi impedimenta quæ ex propria illius materia emergunt; at difficultates ex avaritia, & ex voluptatibus ortæ, non spectant ad materiam justitiæ; sed illa pertinet ad materiam liberalitatis; hæc ad materiam temperantiæ; quare eas difficultates tollere non spectat per se ad justitiam, sed tantum quatenus liberalitatem, & temperantiam sibi adjunctas habet.

trahet. Ex quibus intelligis unam virtutem iuvare aliam, non illius actum exercendo, sed removendo difficultatem qua posset à suo officio retardari.

Posterior pars ostenditur, quia non omnes virtutes morales simul acquiruntur, sed aliæ post alias; & singulæ per actus diversos ab actibus quibus aliæ producuntur. Unde fieri potest & sæpe contingit, ut quis studeat operibus unius virtutis, & alias negligat, sicque acquirat habitum illius tantum in qua se exercet, non reliquarum. Et sic videmus multos in bello fortiter se gerere, qui tamen nec justitiam, nec temperantiam, ullamve aliam virtutem colunt. Videmus etiam, inquit S. Thomas 1.2. *quæst. 65. art. 1.* aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua consuetudine esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non nisi ægrè opera castitatis exercet.

ARTICULVS IV.

De connexionione virtutum supernaturalium seu infusarum.

Hic difficultati satisfieri potest ex iis quæ tradit S. Thomas 1.2. *quæst. 65. per varios articulos.* Nam *art. 1.* docet virtutes morales, prout sunt operativæ boni, in ordine ad finem qui non excedit facultatem naturalem hominis, posse per opera humana acquiri, & sic acquisitas sine charitate esse posse, sicut fuerunt in multis gentibus. Secundum autem quod sunt operativæ boni, in ordine ad ultimum finem supernaturalem, non posse sic humanis actibus acquiri, sed infundi à Deo & huiusmodi virtutes non posse esse sine charitate, quia non sunt sine prudentia infusa, ut colligitur ex supradictis, nec prudentia illa sine charitate, eò quòd ad rectam rationem prudètiæ multo magis requiritur, quòd homo bene se habeat circa ultimum finem, quod fit per charitatem, quàm circa alios fines, quod fit per virtutes morales: sicut recta ratio in speculativis maximè indiget primo principio indemonstrabili, quod est, *contradictoria non esse simul vera.*

Vbi nota quod ait S. Doctor de primo principio indes-
monstrabili, non videri satis consentaneum commu-
niori sententiæ, quæ statuit primum principium non
esse illud quod ab eo assignatur, sed potius istud, *impos-*
sibile est aliquid simul esse, & non esse, ut patet ex dictis in
Idea Metaphysica.

Art. 3. statuit omnes virtutes morales simul infundi
cum charitate, *quod probat*; quia Deus non minus perfe-
ctè operatur in operibus gratiæ, quã in operibus nature;
sic autem videmus in operibus nature quod nõ inveni-
tur principium aliquorum operum in aliqua re, quin
inveniantur in ea quæ sunt necessaria ad huiusmodi o-
pera perficienda: sicut in animalibus inveniuntur orga-
na, quibus perfici possunt opera ad quæ peragenda ani-
ma habet potestatem. Manifestum est autem quod cha-
ritas in quantum ordinat hominem ad finem ultimum,
est principium omnium bonorum operum quæ in ulti-
mum finem ordinari possunt. Unde oportet quod
cum charitate simul infundantur omnes virtutes mo-
rales, quibus homo perficit singulã genera bonorum
operum. Ex quo etiam sequitur illum qui per pecca-
tum mortale amittit charitatem, amittere omnes virtu-
tes morales infusas.

Si objicias, multos habere charitatem, qui magnas ex-
periuntur difficultates in exercitio bonorum operũ; ex
quo sequi videtur in iis esse charitatem, sine virtutibus
moralibus infusis. *Respondetur* id non sequi, quia ut mo-
net S. Doctor *ad 2.* difficultas illa potest oriri ex causa
aliqua extrinseca, sicut enim habens habitum scientiæ
patitur difficultatem in intelligendo, propter somno-
lentiam, vel aliquam infirmitatem; ita habens habitus
virtutum infusarum, patitur interdum difficultatem in
operando, propter aliquas dispositiones contrarias ex-
precedentibus actibus relictas: cuius oppositum ait ac-
cidere in virtutibus moralibus acquisitis, quia per a-
ctuum exercitium quo acquiruntur, tolluntur etiam
contrariæ dispositiones.

Art. 4. docet fidem, & spem esse posse sine charitate:
non tamen sine illa perfectæ virtutis rationem habere.

Cum enim fidei opus sit credere Deo, credere autē sit alicui propria voluntate assentiri, si non debito modo velit, non erit fidei opus perfectum, quod autem debito modo velit, hoc est per charitatem quæ perficit voluntatem. Et similiter actus spei est expectare futuram beatitudinem à Deo, qui quidem actus perfectus est, si fiat ex meritis quæ quis habet, quod nō potest esse sine charitate. Si autem hoc expectet ex meritis, quæ nondum habet, sed proponit in futurum acquirere, erit actus imperfectus, & hoc potest esse sine charitate.

Art. 5. statuit charitatem non posse esse sine fide, & spe, idque probat, quia charitas non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quandam ad ipsum, quæ quidem super amorem addit mutuā redamationē, cum quadam communicatione & societate mutua, quæ hic inchoatur per gratiam, & in futuro perficietur per gloriā, quorum utrumque fide, & spe tenetur. Unde sicut non possēt quis cum aliquo amicitiam habere, si discrederet, vel desperaret se posse habere aliquam societatem vel familiarem conversationem cum ipso; ita non potest quis habere charitatem ad Deum, nisi credat, & speret se societatem cum illo habiturum, sicque charitas non potest esse sine fide, & spe.

ARTICVLVS V.

De aequalitate virtutum.

SToici olim existimabant omnes virtutes esse inter se æquales; sed oppositum tenendum est, cum communi sententia Philosophorum, & Theologorum, ut patet ex variis capitibus unde virtutum inæqualitas sumi potest.

Nam in primis negari nequit quin ex virtutes sint nobiliores, quæ præstantius habent objectum, cum specificatio & dignitas earum maximè ex objecto sumi debeat: quò fit ut virtutes Theologicæ, quæ directè in Deum feruntur, sint aliis omnibus virtutibus perfectior,

Deinde ad perfectionem virtutis concurrunt excellen-
tia motivi; unde ex communi sententia, qui jejunit ex
motivo charitatis, longè melius & præstantius opus e-
dit, quàm qui jejunit ex motivo obedientiæ, vel tem-
perantiæ

Rursum inter virtutes ejusdem speciei potest reperiri
magna inæqualitas, secundum gradus intensiōis, ita ut
virtus aliqua in uno sit valde intensa, in alia verò remis-
sa: hæc autem inæqualitas multum confert ad inæqua-
litate[m] valoris & meriti. Unde & operibus inæqualibus
ex charitate elicitis, respondebit inæqualis gradus glō-
ria in alia vita.

Nec dicas virtutem consistere in rectitudine, seu in
conformitate cum recta ratione, nihil autem dari posse
rectius eo quod rectum est. Istud enim verum est, quan-
do rectitudo est indivisibilis, ut in linea; non autem
quando habet aliquam latitudinem moralem, ut hic
contingit: nam etsi omnes virtutes sint rectæ rationi cō-
formes, una tamen est illi conformior alia, ob nobilius
objectum, aut motivum, aut propter conatum intensio-
nem, aliudve ejusmodi

C A P V T I I I .

DE PRUDENTIA.

A R T I C U L U S I .

De nomine, & natura Prudentiæ.

Primoneo nomen Prudentiæ tripliciter sumi. 1. Pro
naturali quadam sagacitate, quo sensu serpentes dis-
cuntur prudentes in scriptura. 2. pro sagacitate hu-
mana, qua homo cautè procedit in actionibus suis, sive
bonis, sive malis; qua ratione filii hujus sæculi dicuntur
sapientiores, seu prudentiores filiis lucis 3. pro virtute
Moralis qua homo dirigitur in actionibus suis, ut quæ
rationi congruunt operetur, quæ verò ei sunt adversa
fugiat: quomodo hic à nobis sumitur. Et de Prudentia
sic spectata.

Quartus